

dam justitiæ æqualitatem ex utraque parte, quæ dici potest promissio justitiæ seu conventionalis; alia dici potest promissio simplex, quæ interdum absoluta est, interdum sub aliqua conditione, non tamen æquivalentis operis, quæ propterea obligationem justitiæ inducere non valet. De priori ergo recte negatur antecedens in argumento sumptum; posteriori autem admissa, recte negatur consequentia, ut declaratum est.

CAPUT XXV.

UTRUM HOMO JAM JUSTIFICATUS AUGMENTUM GRATIÆ DE CONDIGNO MERERI POSSIT, ET QUOMODO AUT QUANDO?

1. *Supponitur ex fide justos mereri augmentum gratiæ, dubitatur vero an de condigno.* — *Opinio prima negativa.* — Post infusionem gratiæ habitualis sequi solet ejus augmentum, de quo proinde consequenter sequitur dicendum. Et imprimis, id quod notum est et de fide certum, supponimus posse justos suæ justitiæ augmentum apud Deum mereri. Quod magna ex parte in libr. 9 ostensum est, et a fortiori probabitur ex dicendis. Dubium ergo solum est de modo seu perfectione meriti. In quo D. Bonaventura, in 2, distinct. 27, artic. 2, quæst. 2, negat justos mereri augmentum gratiæ de condigno, sed de digno, quod meritum dicit contineri sub merito de congruo, et in illo genere perfectissimum. Et hanc opinionem sub problemate defendit ibi Richardus, artic. 2, quæst. 2. Fundamentum ejus est, quia illud meritum procedit ab habitu remissiori; ergo ex ea parte non habet proportionem, seu commensurationem cum intensiori habitu; ergo illud meritum, licet possit dici de digno, propter personæ dignitatem, non tamen de condigno, propter inferioritatem gradus in gratia seu dignitate personæ. Confirmat hoc in tertio argumento cum solutione, quia gratia, quæ supponitur ad hoc meritum, et augmentum ejus, sunt ejusdem rationis seu naturæ, et illa gratia quæ supponitur, est minor quam futura sit post augmentum; ergo non potest esse principium meriti de condigno sui augmenti. Probatur consequentia, quia Deus remunerat opus secundum quantitatem radicis, et ideo, si aliquid ultra addit, erit de congruo cum dignitate ex parte operantis, non vero simpliciter de condigno.

2. *Assertio affirmans.* — Dicendum vero est

justos mereri de condigno suæ gratiæ augmentum. Ita docet D. Thomas, dicta quæst. 114, artic. 8, ubi expositores omnes, et alii Theologi, in 3, distinct. 27 et 28, veritatem hanc tanquam certam et indubitam docent. Et colligitur quidem ex Scriptura, nam, licet in illa non fiat expressa mentio meriti de condigno, nihilominus docet hominem justum justificari amplius apud Deum ex operibus, sicut Jacobus de Abraham dixit, cap. 2 Epistol. suæ; et Paulus, ad Roman. 6, justos monet: *Exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*; et adjungit: *Liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam æternam*. Ubi sanctificationem appellat gratiæ et sanctitatis augmentum, quod dicit esse fructum justorum, quia est merces operum eorum in ordine ad vitam æternam, ut mox explicabimus. Et 2 ad Cor. 9, dixit per opera misericordiæ augere Deum incrementa frugum justitiæ, adducens illud Psalm. 112: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*, et alia multa adduximus supra de augmento gratiæ tractantes. Ex quibus Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 16, et canon. 32, docet ac definit, *justos mereri vere augmentum gratiæ*, et, licet non addat de condigno, tamen id satis significat in particula *vere*, ut supra, cap. 2, num. 8, ponderavimus. Et dum conjungit vitam æternam et augmentum ejus, satis aperte docet non esse minus perfectum et de condigno meritum hoc circa gratiæ augmentum, quam circa vitam æternam, ejusque augmentum. Unde concludimus, ex mente Concilii, si aliquid meretur justus de condigno, maxime justitiæ augmentum, quod Concilium primo loco ponit; ergo quam est certum meritum justorum apud Deum esse de condigno, quod supra ostensum est, tam est certum augmentum justitiæ sub meritum de condigno cadere.

3. *Accedit optima ratio.* — Præterea est optima ratio, quia justus meretur de condigno augmentum gloriæ, ut ex eodem Concilio sumitur, et infra dicetur; gloria autem correspondet gratiæ, et ad majorem gloriam non acceptatur homo, nisi per majorem gratiam, nam per gratiam fit intrinsece dignus gloria, eique proportionatus, eademque ratione per majorem gratiam proxime coaptatur majori gloriæ; si ergo justus meretur gloriæ augmentum, ideo est quia eodem merito crescit in gratia. Quod amplius explicatur;

nam gloria est veluti hæreditas, gratia vero est adoptio seu filiatio cui debetur hæreditas; ergo si per opera crescit jus ad hæreditatem, necesse est ut eodem merito et cum æquali ejus perfectione crescat adoptio et filiatio. Idemque argumentum sumitur ex eo quod augmentum illud pertinet ad coronam justitiæ, quam reddet justus judex his qui diligunt ipsum; ergo etiam augmentum gratiæ radicaliter (ut sic dicam) ad illam coronam justitiæ pertinet. Ac proinde sicut ex eo quod beatitudo est corona justitiæ quam bene operantibus reddet justus judex, optime inferitur esse præmium meritorium de condigno, ita ex eo quod augmentum gratiæ, ut est fundamentum et intrinsecum jus majoris beatitudinis, comprehenditur sub illa corona justitiæ, aperte concluditur cadere sub meritum de condigno.

4. *Altera ratio.* — *Solvitur fundamentum ex Bonaventura, in num. 1.* — Denique ratio a priori est, quia in hoc merito concurrunt conditiones omnes ad meritum de condigno necessariæ; nam ex parte operum, cum libera, bona, et supernaturalia, seu ex gratia esse supponantur, est maxima proportio et æqualitas, et ex parte personæ merentis dignitas personæ supponitur, quia est Dei amicus, et in gratia, eademque supponitur ex parte illius, cui meretur, quia sibi meretur, et ex parte Dei intercedit promissio, juxta verbum Christi, Joan. 14: *Si quis diligit me, mandata mea servabit, et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis*. Circa quæ verba dubitat Augustinus, ibi, tract. 74, quomodo promittat Christus Spiritum Sanctum servanti mandata, et diligenti, cum non possit sine Spiritu Sancto diligere, et respondet: *Restat ut intelligamus Spiritum Sanctum habere qui diligit, et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligit*. Nihil ergo ibi deest ad perfectum meritum de condigno. Nam quod Bonaventura objicit, quia persona habet remissorem gratiam ut principium meriti, quam habebit in termino, non video quid valeat ad convincendum aliquid de condignitate meriti, quia condignitas meriti non est proprie in habitu, prout supponitur ad actum, sed est in ipso actu prout habet bonitatem talem ac tantam cum cæteris conditionibus requisitis; ut autem actus habeat hanc condignitatem, non oportet ut habitus a quo procedit, sit tantæ intensionis, quanta futura est ratione ipsius meriti; tum quia nulla est ratio illius conditionis; tum etiam quia repu-

gnantiam involvit, nam id quod per meritum acquirendum est, illi supponi non debet, vel potius non potest. Quocirca, licet habitus gratiæ per meritum intensior fiat, tamen id quod illi additur, aliquid minus esse potest, et cum illo tantum gratiæ gradu, qui præexistens supponitur, debet actus meritorius de condigno commensurari; ergo optime et facile intelligitur æqualitas inter actum meritorium et gradum gratiæ, qui præexistenti additur, etiamsi tota gratia coalescens ex præexistenti gratia, et gradu illi addito, ipsum actum excedat. Quin potius accidere potest ut aliquis operans ex gratia remissa tam ferventem actum eliciat, ut plus gratiæ per illum actum mereatur, quam antea habebat, neque hoc repugnabit æqualitati meriti, quia hæc æqualitas non debet esse inter gradus gratiæ præexistentis, et subsequentes ad meritorium actum, sed inter actum et gratiam ratione illius additam, et hoc modo potest actus adæquari majori gratiæ quam promereatur, et excedere gratiam a qua profluit, quia non ab illa sola fit, sed etiam ab auxilio gratiæ, ratione cujus actus potest esse multo intensior habitu, et sic habere ex parte sua proportionem ad majus præmium, ad quam ex parte personæ merentis satis est, quod sit in gratia, licet non sit in tanta gratia, (ut sic dicam) quanta est illa, quæ ratione meritorii actus ei accrescit. Unde multo minus necessarium, imo impossibile est ut gratia, quæ ad merendum de condigno supponitur, debeat esse tanta quanta est tota gratia in ipso termino meriti, quæ ex præexistente et superveniente coalescit. Neganda est ergo consequentia utriusque argumenti Bonaventuræ. Nec est verum quod Deus remunerat opus secundum quantitatem radicis, si cætera paria non sint, sed remunerat secundum quantitatem ipsius operis in valore morali, qui non ex sola radice, sed ex multis conditionibus consurgit. Eo vel maxime quod non sola gratia habitualis est radix meriti, sed etiam actualis gratia, et motio Spiritus Sancti, ex qua dignitas actus multum potest augeri.

5. *Corollarium quo extenditur assertio ad habitus gratiam consequentes.* — Atque hinc colligitur assertionem hanc intelligendam esse non solum de habitu gratiæ, qui est in essentia animæ, sed etiam de habitu charitatis, et de omnibus virtutibus ac donis infusis. Quia, ut lib. 9 diximus, gratia et charitas æqualitatem ac proportionem inter se servant, ut unum amicitiae vinculum perfecte

compleant. Reliquæ autem virtutes et dona commensurantur gratiæ, ut proprietates formæ, et ideo justus, merendo augmentum gratiæ, consequenter aliorum donorum augmentum promeretur. Quod universaliter habet locum in virtutibus moralibus et Spiritus Sancti donis, idemque erit in fide et spe, nisi supponantur esse intensiores quam gratia ipsa, quod sæpe contingere poterit, quia vel possunt manere valde intensæ, amissa gratia, vel etiam augeri possunt extra statum gratiæ, juxta dicta supra in libr. 9. Tunc autem non videtur necessarium ut augeantur simul cum gratia, quia nec per se intenduntur per omnes actus meritorios, nec consequenter ad gratiam, quia hæc consecutio non est nisi secundum æqualitatem intensio- nis. Et hinc etiam est ut non sit ultra qualitatē meriti de condigno, quod tot habitus per unum actum augeantur, et interdum perfectiores virtutes per actum virtutis inferioris. Quia in merito non consideratur æqualitas physica in perfectione, essentia, aut numero qualitatis, sed proportio æqualitatis secundum moralem valorem, quæ proportio primo inter gratiam et meritum spectanda est, reliqua vero per modum unius præmii conjunguntur, quia qui meretur formam, omnia quæ ad illam consequuntur promeretur.

6. *Satisfit illi particulae tituli, quomodo. — Item illi quando.* — Quærendum vero supererat hoc loco per quos actus fiat hoc augmentum, et quando conferatur. Sed hoc in libr. 9 satis tractatum est, ubi resolvimus justos mereri hoc augmentum per omnes actus meritorios de condigno, et ordine nature præcedentes tale augmentum, illudque dari statim ac homo illud meretur, quia ex parte status homo est capax ejus, et nullum habet impedimentum, et habet jus ad illud, et ideo statim persolvitur ab æquissimo patrefamilias tanquam justum stipendium ad viam transigendam, vel necessarium, vel opportunissimum. Specialiter vero hic inquiri potest, quando incipiat tale augmentum et meritum ejus. Ad quod breviter respondeo fere semper incipere immediate post primum instans justificationis adultorum. Declaratur et probatur ex quodam principio supra posito, quod meritum actus de condigno per continuationem seu perseverantiam augetur. Ex quo sic argumentor, nam adultus ordinarie justificatur per aliquam dispositionem quam actu habet, cum justifica-

tur, et regulariter non durat in illo per se- lum instans, in quo fit justificatio; ergo immediate post illud instans incipit ille actus esse meritorius de condigno augmenti gratiæ, et consequenter etiam immediate post illud instans incipit gratia augeri. Antecedens quoad utramque partem notum est. Consequentia vero probatur, quia continuatio actus auget meritum ejus; sed immediate post illud instans est major vel nova continuatio actus; ergo incipit ille actus mereri majorem gratiam, seu augmentum ejus. Quia respectu augmenti habitus, jam ille actus præcedit non tantum natura, sed etiam duratione, saltem per instans, et aliæ conditiones necessariae ad meritum de condigno illi non desunt. Et confirmatur, nam homo jam justificatus, eliciendo novum actum in uno instanti, meretur certum gradum augmenti gratiæ præexistentis, et immediate post perseverando in illo, auget meritum, et consequenter habitum; ergo similiter qui per suum actum in ejus primo instanti justificatur in certo gradu gratiæ, immediate post perseverando in eodem actu augmentum ejusdem gratiæ meretur. Dices inveniri discrimen, quia actus hominis justificati est meritorius gratiæ de condigno in eodem instanti in quo fit; actus autem hominis qui justificatur, non est ita meritorius in primo instanti. Respondetur parum hoc referre ad meritum subsequens immediate post illud instans. Quia in illo primo instanti actus ille non est meritorius de condigno gratiæ, solum quia non supponit gratiam in persona; immediate autem post illud instans jam gratia supponitur actui ut perseveranti, seu continuato, et ideo meritum, quod tunc tantum erat de congruo respectu gratiæ primæ, immediate post incipit esse de condigno quoad augmentum ejus.

7. *Cur justus non semper immediate post opus mereatur augmentum gratiæ.* — Dixi autem hoc accidere fere semper, et non semper absolute. Primo, quia interdum potest deficere, vel in justificatione extra sacramentum, si fingamus contritionem tantum durare per instans, quod, humano modo loquendo, vix contingere potest, vel in prima justificatione per sacramentum, si contingat hominem parum antea attritum baptizari, vel absolvi quando jam est dormiens, vel omnino distractus, ita ut in ipso instanti justificationis actualem dispositionem non habeat; tunc enim non incipiet mereri gratiæ augmentum,

donec incipiat ex gratia operari. Secundo, posui limitationem illam, quia contingere potest ut in eodem instanti justificationis homo incipiat augmentum gratiæ mereri. Quamvis enim hoc rarissimum sit, non tamen est impossibile. Intelligendum est autem non per eundem actum, quo se ad gratiam primam disposuit. Quia gratia prima, quæ ratione illius actus ut dispositionis, vel meriti de congruo, in illo instanti infunditur, est commensurata, et quasi adæquata illi actui, et ideo non potest pro eodem instanti ad novum gradum gratiæ promerendum ordinari aut valere. Potest autem contingere ut homo vel Angelus justificatus per unum actum, in eodem instanti novum actum habere incipiat, verbi gratia, actum gratiarum actionis, vel spei gloriæ, vel alium similem; hoc enim nullam rationem repugnantiam includit, quia non repugnat habere simul tempore duos actus quorum unus natura sit prior, et dispositio ad gratiam sufficiens; alter vero in eodem instanti per ipsam gratiæ infusionem cum nova divina motione excitetur. Tunc ergo iste posterior actus erit meritorius novæ gratiæ de condigno, quæ in eodem instanti temporis, posterius vero natura infundatur. Dices repugnare ut qualitas in eodem instanti infundatur et intendatur. Respondeo, ab eadem causa quasi naturaliter agente, seu cum eadem dispositione, non posse quidem in eodem momento infundi prius natura, et simul intendi, quia a principio, et quasi unico impetu, agit quantum potest; tamen multiplicata causa, vel dispositione proxima, non repugnare gratiam, quæ ratione unius dispositionis tanta infusa est, addita in eodem instanti nova causa dispositiva simul et meritoria, augeri, præsertim ab agente libero, ut est Deus qui actionem suam accommodat juxta recipientis dispositionem ac meritum. In hoc ergo nulla apparet repugnantia, quamvis in hominibus illa multiplicatio actuum seu dispositionem cum illo causalitatis ordine raro aut nunquam contingere videatur.

CAPUT XXVI.

UTRUM JUSTUS CONSERVATIONEM GRATIÆ, SEU USQUE AD MORTEM PERSEVERANTIAM IN GRATIA, ALIÆVE GRATIÆ AUXILIA, SEU PRÆSENTIS VITÆ SUBSIDIA AD SALUTEM ÆTERNAM CONDUCENTIA, DE CONDIGNO MEREATUR?

1. *Arguitur primo pro parte affirmante quantum ad perseverantiam.* — *Arguitur se-*

cundo. — *Tertio.* — Primo ac præcipue propter perseverantiæ donum hæc quæstio proponitur, consequenter vero de aliis auxiliis dicemus, quia ex eisdem principiis pendet, et ideo connexa sunt. Circa perseverantiam autem prima ratio dubitandi esse potest, quia perseverantia gratiæ consistit in gratiæ conservatione; per hoc enim unusquisque in gratia perseverat, quod Deus in illo gratiam conservat; sed homo potest mereri de condigno, ut Deus gratiam quam sibi semel dedit in ipso conservet; ergo. Probatur minor, tum quia plus est augeri gratiam quam conservari; sed homo de condigno meretur augmentum suæ gratiæ; cur ergo non merebitur conservationem? tum etiam quia homo de condigno meretur gloriam et æternitatem ejus; ergo et gratiam, quæ necessario ad gloriam supponitur. Secundo, quia in operibus justorum est proportio sufficiens ad merendum de condigno perseverantiam tanquam illorum præmium; ergo non est cur negemus etiam ex parte Dei intervenire quicquid ad tale meritum necessarium est. Probatur consequentia, quia, si justitiam et liberalitatem Dei spectemus, consentaneum rationi est ut ex se paratus sit ad retribuendum justis omne præmium eorum operibus proportionatum. Si autem Scripturas aut Ecclesiæ definitiones consulamus, nihil invenitur quod huic merito contradicat; cur ergo negabitur? Tertio, quia si aliqua ratio obstat, maxime quia justus in hac vita possent reddi securi de sua perseverantia, quod repugnat Scripturis. At hoc non sequitur, tum quia non possunt esse certi quod meruerint perseverantiæ donum, et consequenter neque quod illud habeant; tum quia si ponamus justum posse mereri de condigno perseverantiam, non est nobis certum per quos actus illam mereri possumus, neque, si id sciremus, esset nobis certum quod illos actus sicut oportet faciamus; tum denique quia justus non est certus de sua justitia; ergo nec de suo merito de condigno; ergo multo minus potest certo scire quod suam perseverantiam promeruerit. Sicut probabile est posse justum infallibiliter impetrare a Deo perseverantiam, orando sicut oportet, et nihilominus non potest esse certus quod illam obtenturus sit, quia non potest certo scire se orasse sicut oportet ad illam infallibiliter impetrandam.

2. *Prima assertio negans.* — *Falsum fundamentum.* — Nihilominus dicendum est primo